

*riculari ad Universale consequentiam non procedere. neque 2. in hoc: an verba Mosis aliqua rationis cerussâ obduci queant, & sic vulgata versio ex collatione aliorum locorum aliquô explanationis miniô pingi & colorari possit? Siquidem non sufficit τὸ Possesse, Sed requiritur τὸ Oportet. Sed hoc (quod ad posterius attinet) sub disputationis incudem revocatur, 1. An vulgata seu ut *Cornelius à Lapide* eam vocat, Romana Versio, quæ ita legit: *Ipsa* (subaudi *B. Virgo*) *conteret caput serpentis*, in veris sacri codicis exemplaribus fundetur? 2. An eadem tanquam vera & authentica defensitari debeat? Hæc est illa *Helena*, quâ de Pontificii certare debent! Hic est *Rhodus* ubi illis, affirmantium vices subeuntibus saltare, ac firmas probationes producere incumbit! Nos expressè dicimus, ne ullum quidem vestigiū fœmininæ paraphraseos in textu authentico extare. *Bellarminus* quidem Tom. 1. controv. l. 2. de Verbo Dei cap. 11. A. p. 41. hunc quem formavimus statum controversiæ evertere videtur, quando præfatur: *Editionem Vulgatam variè habere, quia quidam codices habeant Ipse, quidam Ipsa, & propterea non esse contrâ eandem, si convincatur debere legi Ipse vel Ipsum.* confer. *Gregorius de Valentia* in Tom. controv. sect. 5. l. 5. p. 112. O. Verùm Resp. 1. Bonus ille *Vir incidit in scyllam, dum vult vitare charybdin.* Etenim si, ut ipse fatetur, vulgatæ versionis corpus tam insigni varietati est obnoxium, sequitur, quod non sit authenticum. Quomodo enim id, quod varium est, authenticum esse potest? Viderit autem *Bellarminus*, ne fulmine *Concilii Tridentini* percutiatur, à quô vulgata editio pro authentica agnoscitur. 2. Eô ipsô, quò lectionem, fœmininum pronomen in locum masculini surrogantem, amplectitur, nobis contradicit, siquidem nos non rejicimus veterem translationem, quatenus Masculino utitur, & sic cum textu Hebr. convenientiam fovet; sed quatenus fermentô Papiſtico est polluta & fœmininum substituit, quod in fontibus non deprehenditur. 3. Si vera est lectio illa, quæ masculinum retinet, ut non solum *Ipse*, sed & *Cornelius à Lapide* in comm. super cap. 3. *Genes. v. 15.* fatetur, cur ab ea Jesuitæ faciunt secessum?*